



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 153. Cardinalis Bononiensis in Papam electus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

„gendo universi Orbis Domino, cui com-
 „peteret ligandi, & solvendi potestas,
 „portasque coelorum claudendi, ac ape-
 „riendi auctoritas, uno verbo, creandum
 „esse Christi Domini Vicarium in terris.“
 Hujus sermonem excepit Aquilejensis
 Cardinalis hunc in modum respondens:
 „Quæcunque egisti, quæcunque demum
 „dixisti, unice eo collimant, ut Colum-
 „nam a Pontificio solio excluderes, &
 „Papam juxta arbitrium tuum nancisca-
 „ris.“ Postea Cardinalis Bononiensis
 ad Aquilejensem conversus inquit: „Cui-
 „nam ergo suffragium tuum conferre
 „prætendis?“ respondit Aquilejensis,
 „nemini me devovi, quemcunque nomi-
 „naverint ceteri, ratum, gratumque ha-
 „bebo.“ Prosper Columna Morinensem
 quoque Cardinalem sibi suffragantem ha-
 buit, proin solus undecim tulit suffragia.
 Tandem Cardinalis S. Sixti Cardinalem
 Bononiensem allocutus, „Thoma, in-
 „quit, ego te creabo Pontificem, quia
 „hodierna die Sancti Thomæ profestum
 „concurrit.“ Nempe sexta Martii die
 vigilia Sancti Thomæ Aquinatis agebatur.

§. CLIII.

*Cardinalis Bononiensis in Papam
electus.*

Eodem tempore ceteri omnes Cardina-
 les unanimi consensu in Bononien-
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. M sem

Sæcul. XV.
 A. C. 1447.

Sæcul. XV. A. C. 1447. sem conspirarunt; Ille autem omni ope, & opera Pontificatum a se amoliri conabatur, asserens, se hac dignitate prorsus indignum esse, tandem vero Sacri Collegii precibus expugnatus, victas dare manus compellebatur. Vir iste, nomine Thomas de Sarzana in quodam oppido haud procul a Lunensi civitate, ad quam ipse Episcopalem Sedem transtulerat, prima incunabula sortitus est. Patrem habuit Bartholomæum nomine, ac professione Medicum, consanguineos vero tenui genere natos. Ejusdem tamen pietatis juxta ac doctrinæ fama Eugenius Papa permotus, Cardinalis tit. S. Susannæ dignitatem ei contulit, ut operam, in tollenda Germanorum Neutralitate egregie navatam remuneraretur.

Antonin. tit. Nicolai V. nomen suscepit ob memoriam
22. c. 12. Nicolai Albergati Cardinalis tit. S. Cru-
Æn. Sylv. cis, cui antea a Servitiis fuerat, atque
comment. l. I. ab eo summi Pontificatus vaticinium ac-
Europ. c. 58. ceperat. Mox confecta illius electione, Cardinalis Columna Diaconorum primus de more fenestram Conclavis referavit, et Cruce foras delata factam electionem confluenti populo proclamavit; Cum autem ob nimiam fenestræ altitudinem Neo-electi Pontificis nomen haud percipi potuisset, plures eundem Cardinalem, quem ad fenestram stare conspexerant, ad Pontificatus apicem eVectum fuisse

fuisse divulgant: unde ad auditum ru-
morem tota Ursinorum familia haud pa-
rum turbata, suas domos munire com-
pulsæ est. Ex adverso Romani, utpote
Papam urbis suæ concivem electum fuisse
arbitrati, festivis ignibus, tripudiis, atque
conviviis lætitiæ suam contestabantur.

Sæcul. XV.
A. C. 1447.

Idem, sedato tumultu, Cardinalis
Columnæ palatium spoliabant; verum
detecto errore ad Cardinalis Bononiensis
domum accurrerunt, eandem quoque
expilaturi, sine magno tamen ejus damno,
utpote cui curta admodum suppellex erat.
Arragonum Rex, qui Cardinalem Co-
lumnæ in D. Petri Cathedram collocari
desideraverat, comperta Nicolai V. ele-
ctione rem sibi minus probari ostendit; (*)
Nihilominus Neo-electus Papa ingenti
pompa ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ su-
pra Minervam delatus est, nequicquam
renitentibus diversis hominum studiis.
Igitur omnes Cardinales summum Pon-
tificem in summi Altaris gradu colloca-
tum

(*) S. Antoninus l. 22. c. 11. §. 18. hæc
habet: *Visitatus (Pontifex) a Principibus per
Oratores congratulantibus de ejus exaltatione
in Sede Apostolica, ac venerantibus ut unicum
& legitimum, & indubitatum Apostolicum Vi-
carium Christi & Petri Successorem, & primo
a Rege Arragonum ut magis vicino.*

Sæcul. XV. tum solita religione coluerunt; Ipse vero
A. C. 1447. paulo post equo albo vectus, Procobio
 Senatore Romano fratōris munia ob-
 eunte, ad Basilicam S. Petri accessit, &
 conscens Ecclesiæ gradibus populo so-
 lemnem benedictionem impertiit.

§. CLIV.

*Nicolaus V. ut Pontifex ab universa
 Germania agnitus.*

*Cochl. l. 9.
 in fin.*

Nonnisi quatuordecim dies Sedes va-
 cabat. Porro absoluta Nicolai V.
 electione Fridericus Imperator apud
 Asciburgum, oppidum Dioecesis Mogun-
 tinæ ad diem vigesimam Julii tam Ec-
 clesiasticorum, quam sæcularium Prin-
 cipum conuentum indixit, in quo obe-
 dientia non solum Eugenio Papæ defuncto
 olim præstita, sed illa etiam confirmaba-
 tur, quam Nicolao V. Neo-electo Pon-
 tifici Oratores a Francofordiensi conven-
 tu Romam missi, ibidemque continuo
 persistentes deferebant; simulque fuit
 penitus abrogata Neutralitas, atque
 omnis cum Felice, ac Basileensibus con-
 suetudo: Eaque de re edictum Cæsar
 promulgavit feria secunda die vigesimo
 primo Mensis Augusti, quo præcepit, ut
 Nicolaus pro solo, vero atque legitimo
 Papa, Vicario Christi, & Successore S.
 Petri ab omnibus agnosceretur, ejus-
 que